









2682.

1651, 3

Disputatio Politica,  
DE  
HOMAGIO

3

Quam

Assistente Supremi Numinis auxilio  
*Amplissimi & spectatissimi Philosophorum, in florentissima ad Salam Aca-*  
*demiâ, ordinis consensu.*

SUB TUTAMINE.

VIRI

*Excellentissimi, Amplissimi & Praclarissimi*

DN. M. JOH-CHRISTERIDI  
SAGITTARII, Historiarum &

Poëseos P. P. celeberrimi, Præceptoris & Fautoris  
sui devotâ observantia jugiter prose-

*Placide discussioni subjiciet*

JOHANN-GEORGIUS Seiferdt /  
Budisâ - Lufatus.

*Habebitur in Acroaterio philosophico*  
Ad Aprilis.

FINÆ

Imprimebat CHRISTIANUS LAURENTIUS  
KEMPFIIUS.

ANNO M. DC. LI.







## V I R I S

*Magnificis, Experientissimis, Excellentissimis, Amplissimis,  
 Consultissimis, Prudentissimis, virtute & eruditione multâ,  
 multiplicique rerum usu, ac civili experientia eminentis-  
 simis, Clarissimis.*

C O S S.

D N N N N.

S Y N D I C O,

P R Æ T O R I B U S,

S E N A T O R I B U S.

inclutæ Reipublicæ B U D I S S I N E N S I S honoratissimis,  
 P A T R I Æ P A T R I B U S,


*Dnnon. Suis Munificis, Patronis, Fautoribus & Pro-  
 motoribus perpetuo observantia & obsequii  
 honore afficiendis,*

Primitias hæc Academicas

*In gratissimi animi, Studii Academici, ulterioris-  
 que favoris & promotionis symbolum di-  
 cat, & inscribit*

Autor &amp; Respondens.





## DEO DUCE.

## PROPIÆUM.

**N**Ec olim defuisse Jurisjurandi religionem, satis superque testatum eunt Historici quivis. Quid enim hoc tantum est, quod Megapolitanos movit, ut in voluntario exilio vitam trahere maluerint, dimissis domibus, sepulchris, templis, fortunis, omnibus denique rebus necessariis, quam discedendo ab Achæis aliquod violatæ fidei signum præ se ferre? quid inquam, hoc tantum esse potest, nisi religio? aut quis tam demens est, ut putet M. Atilium Regulum alia vi, quàm jurisjurandi religione coactum ad hostem rediisse? neq; enim *nesciebat, quæ sibi barbarus torior pararet*, ut loquitur Horat. od. V. l. 3. neq; enim ignorabat, se ad crudelissimum hostem, & exquisita supplicia proficisci, sed jusjurandum servandum putabat. Et hinc etiam fortassis est, quod Imperantes subditos arctiori vinculo sibi devinctos futuros non crediderint, quàm Jurejuramento illo, quod communi nomine salutatur HOMAGIUM. Cujus materiam multiplici sese utilitate & necessitate ipsam commendare, nec non à summis viris jamdudum satis collaudatam esse, apud omnes rectè sentientes hodiè in confesso est. Unde in vestibulo hujus disputationis lychnum mediâ in luce accendere non immeritò videremur, si utilitatis æquè & necessitatis elogio doctrinam hanc exornare laboraremus. Faxit itaque DEUS omnis boni fons & origo, ut susceptum onus metam suam perringat FELICITER!





**E**tymologia Homagii toties variat, quoties voluerunt Autores. Nonnulli deducunt Homagium à Græco verbo, ὁμῶν, quod idem ac juro; quia juramento interveniente solet præstari: Alii dictum volunt ab ὁμῶν, unio, quia per id subditi & Domini censentur uniti.

Alii ab ὁμῶν simul, & ἄγιον sacrum, quasi dicas, commune sacrum, sive juramentum. Quidam malunt esse vocabulum barbarum; de quibus consulantur Lexicographi.

§. II. Sumitur porrò non uno eodemque modo. Homagium enim quandoque *fædus* significat: quandoque accipitur pro *juramento fidelitatis, quod præstat Vasallus Domino*, de quo infra §. Nonnunquam sumitur pro *juramento, quod Magistratus primùm subditis jurat, & deinde subditi Magistratui*. Modò significat *juramentum ex parte subditorum*, ut non attendatur, an princeps, sive imperantium quicumque juraverint an minus. De quo in præsentibus nobis sermo erit. Germanis convenientissimo vocabulo est *Huldigung* / quasi fidelitatis pactum. *Eingeding/hold und trew zu seyn*.

§. III. Homagium est *promissum ut plurimum jurejurando firmatum, quod subditi præstant imperantibus, sub quorum imperio habitant, in obedientia, fidelitatis & observantia certitudinem*.

§. IV. Genus est *promissum*: quod, cum ut plurimum jurejurando interveniente detur, quædam de *Juramento* sunt exponenda. Requiritur vero animus, *Rationis compos & deliberatus*; quali non sunt præditi pueri, amentes, stulti, phrenetici, aut qui alias judicio rationis, vel propter ætatem, vel alium aliquem defectum uti non possunt.

§. V. Deinde, *quod juramento promittis, non sit dolo elicitum*. Nam si certum est, eum, qui juravit, aliquod factum supposuisse, quod revera ita se non habeat, ac nisi id credidisset, non fuisse juraturum, non obligabit juramentum. ac si dubium sit, an non etiam sine eo idem fuisset juraturus, standum erit verbis, ut loquitur *Grot. lib. 2. de Jur pac. & bell. cap. XIII.*



XIII. §. 7. Exemplum est, Jos. 9. v. 18. & seqq. ubi Gibeonitæ simulant se peregrinos esse, & conjunctionem cum populo DEI quærere, quos Josua admittit ad fœdus, ipsisque jurat; & quanquam triduo post cognoscat, se deceptum esse, non tamen juramentum rescindit, sed præstat, quod juraverat, hoc tamen cum temperamento, ut Gibeonitæ quidem relinquerentur in medio populi DEI, ad vilissima tamen servitia adhiberentur.

§. VI. Porro, *verba non extendantur ultra receptam loquendi modum.* Ideo perjuri non erant, qui cum jurassent, se non duros in matrimonium filias Benjaminitis, raptas cum raptoribus vivere permiserunt Judic. XXI. v. 19. & seqq. Aliud enim est dare, & aliud amissum repetere.

§. VII. *Ut non sit res impossibilis,* quæ jurejurando promittitur. Manifestum enim est, ad omnino impossibilia neminem obligari.

§. VIII. Ubi paucis tangenda quæstio: *utrum is, qui incidit in latrones promittens eis jurejurando certam pecunie summam, ne occidatur, teneatur eam solvere.* Responderi posse videtur, hoc modo promittentem absque perjurii crimine non posse promissis fidem subtrahere. Omnia enim juramenta de relicta & possibili cum electione facta à scientibus, & non plane invitis sunt præstanda, nisi is, cui promissio jurata facta, rem ipsam sponte remittat. Deinde juramentum factum est DEO, cujus nomen non est profanandum; imò neque factum est simpliciter ab invito, sed est actio mixta, in quâ aliquid est voluntarii; quia inter pecuniæ solutionem & vitæ redemptionem eligit id, quod est melius, sive minus malum, & ut vitam redimat, pecuniam se daturum jurejurando promittit. Res promissa denique est possibilis & privata, cui religio & veritas semper est præferenda.

§. IX. *Ne promittatur res illicita.* Quidam hinc putant, eum non teneri, qui juraverit latronibus, se silentium præstaturum, nec factum hoc revelaturum Magistratui. Nam juramentum hoc dicunt esse de re illicita, speciemque habere alicujus collusionis cum latronibus; quæ licet maximè absit,



justitiam tamen impediri, improbos in malitiâ suâ confirma-  
ri, proximo in discrimen vitæ incidendi occasionem præberi,  
& sic multis modis in pietatem, justitiam, & charitatem pro-  
ximi silentio huic intempestivo & obstinato studentes pec-  
care. De quo quid sit sentiendum, in discursu monebitur.

§. X. Concipiendum etiam est *juramentum cum DE In-  
vocatione*, ita, ut quidem differat verbis, re verò conveniat. Hunc  
nimirum sensum habere debet, ut Deus invocetur hoc mo-  
do: Deus testis sit, aut Deus sit vindex. Nam cum superi-  
or puniendi jus habens, testis advocatur, simul ab eo perfidiæ  
ultio poscitur & qui scit omnia, ultor est ideo, quia testis, ut lo-  
quitur *Grot. d. lib. 2 de Jur. Pac & Bel.*

§. XI. Finis juramenti est, ut per illud præcidantur con-  
troversia. DEI enim testimonium est jusjurandum, de eare,  
de quâ ambigitur, inquit *Philo.* Et illud non dissimile *Halicar-  
nassensis.* Ultima fides inter homines tum Græcos, tum barba-  
ros, quam nulla delectaretas, est ea, qua per jurata pacta spon-  
siores adhibet DEOS. Et si quidem materia talis sit, & ver-  
ba ista ita concepta, ut non ad DEUM tantum, sed ad homi-  
nem referantur, jus haud dubiè homini ex ipso juramento  
quæretur, tanquam ex promisso aut contractu, qui simplicis-  
sime intelligi debet. Si vero aut verba hominem non respi-  
ciant, jus ei conferendo, aut respiciant quidem, sed aliquid sit,  
quod ei opponi posset, tunc ea vis erit jurisjurandi, ut homo  
quidem ille jus nullum consequatur: at nihilominus, qui jura-  
vit DEO, obligetur stare jurijurando. Quapropter audien-  
dus non est Cicero cum ait, perjurium non esse, si prædonibus  
pactum pro capite precium non afferatur, ne si juratum qui-  
dem sit. Nam etsi personam jus deficit, quicquid defuerit,  
suppletur per DEUM, quem vindicem, si fallat, sibi fuit  
imprecatus.

§. XII. Quare cum homagium dicitur promissum ut  
plurimum juramento firmatum, meminerimus ab omni ævo  
circa pollicitationes, promissa & contractus maximam sem-  
per fuisse vim & efficaciam jurisjurandi ut loquitur *Grot. lib. c. 2.  
de J. P. & B. cit. §.* & nullum vinculum ad astringendam fi-  
dem



dem arctius esse, quam jusjurandum, teste Cicerone  
offic. 1.

17.

§. XIII. Cum vero dicitur Promissum, sciendum est, quod etiam Homagium possit consistere citra juramentum, si videlicet consuetudine aut alio interveniente pacto hoc fuerit introductum.

§. XIV. Denotatur porro, quinam obstricti sint ad præstandum Homagium. Regulariter igitur nemo subditorum excluditur, cujuscunque sit conditionis aut status.

§. XV. Unde manifestum est, etiam Ecclesiæ ministros ad præstandum Homagium, si ab imperante exigatur, esse obstrictos. Æque enim ad illos, ac ad alios illud monitum Petri spectat. 1. Petr. 2. v. 13. subditi estote omni humanæ ordinationi.

§. XVI. Ex Homagio à patre præstito quidam dicunt filium obligari. Quod filius sit pars veluti patris, nisi jam virilem induerit ætatem, qua ab ipso separetur, ut habet Arist. 1. M. M. cap 34. Quidam negant. Cum enim juramentum omnium maximè sit personale, nec unquam egrediatur jurantes, & obliget conscientiam, iniquum esse, alieno factò alterius conscientiam adstringi. In conscientiosis enim Patrem & filium pro unâ persona haberi non posse, cum diversæ sint eorum conscientiæ. Quibus tamen omnibus non eximunt filium subjectione, sed eam saltem ex aliâ, quam homagii paterni ratione adstruendam innuunt, utpote Domicilio patris aut nativitate ipsius filii. Idem esse judicium de Marito & Uxore æstimant, ut quod maritus juravit, non teneatur eodem uxor.

§. XVII. Quemadmodum autem subditi alii sunt sine conditione, alii vero cum conditione: Ita etiam homagium aliud est illimitatum, aliud limitatum. Illud fit sine omni conditione. Hoc verò eâ cum lege, quod velint esse fideles subditi, quamdiu ipsi immunitatibus & juribus salvis & illæsis frui & gaudere potuerint.

§. XVIII. Dicitur indefinitione homagii, *promissum, quod subditi præstant imperanti*. Proprie enim præstat Homagium



gium naturali Domino, aut Domino territoriali, eoque mortuo legitimo ejus successori de novo præstandum est. Quod tamen maximè procedit, si status Imperantium sit Monarchicus, aut illi similis, ut, licet non habeat imperans summam potestatem, solus tamen certis locis præsit. In Aristocratico enim non necesse est, ut unâ aut altera personâ mutatâ, illico Homagium repetatur, sed forsan tùm demum, ubi omnes personæ simul mutantur.

§. XIX. Dicitur porro *Imperanti, sub cujus imperio habitant*. Homagium enim propriè respicit habitationem & domicilium, non vero bona, quæ certæ rei ratione alterius juris ditioni subjiciuntur. Ideoq; ad homagium non potest compelli vasallus, nisi simul sit subditus, ut nec is, qui bona possidet in alieno territorio.

§. XX. *Obedientia* nomine venit Executio mandatorum, quæ incumbit subditis in rebus politicis omnimoda, in rebus spiritualibus, in quantum non est contra DEI mandatum. Oportet n. DEO magis obedire, quam hominibus *Act. 5. v. 29.* Estque vel *personalis*, vel *realis*.

§. XXI. *Personalis* executio præstatur vel ministerio corporis, vel industria, vel labore humano, quem subditi præstant in muniendis civitatibus, in apparatu bellico, & aliis negociis conficiendis. *Realis* consistit in erogatione pecuniæ, vel earum rerum, quæ pecuniæ vim & valorem tenent, ad quas referimus collectas tam ordinarias, quam extraordinarias.

§. XXII. *Obedientia* verò non statim renunciare potest subditus, licet imperans suo desit officio.

§. XXIII. Fidelitatem, quam pollicentur ii, qui præstant homagium, in eo constituendam putamus, ut imperantium commoda quærant, vitam defendant, & ab omni prodicione, conventiculis, sedulò abstineant, & ut reliqui idem faciant, adhortentur.

§. XXIV. *Observantia* denique exposcit honorem, ut subditi suos imperantes venerentur, illosque debito honoris cultu prosequantur. Atque hunc honorem comitatur vera benivolentia, quam declarabunt pii subditi cum preces pro salute

lute



lute imperantium, etiam minus commodorum, aut pro publica salute non adeo vigilantium concipiunt.

§. XXV. Differt Homagium à *juramento fidelitatis*. Homagium enim obligat ratione personæ: juramentum verò fidelitatis saltem ratione feudi. Homagium continet verbum subjectionis, quòd tamen non continetur in juramento fidelitatis. Homagium non offerri debet nisi exigatur; juramentum verò fidelitatis mortuo Domino successori intra annum, mensem vel diem offerendum est, nisi quis velit illo beneficio privari, ut monet *pl. Rever. & Amplis Dn. Balthas. Cellarius Polit. l. II. cap. XIX. §. 15.*

§. XXVI, Nec convenit Homagium sive juramentum subjectionis cum *juramento protectionis, quo vel religionis, vel regionis defensio alteri promittitur*. Hoc verò protectionis juramentum nullo modo lædit aut imminuit Majestatem. Patrocinium enim qui pollicetur & defensionem, hoc ipso declarat, se illi, cui eam promittit, non esse subiectum, adeoque, licet juramento protectionem recipiat, majestatem, si habeat, hoc ipso non amittere. Sic Orientalis & Occidentalis imperii Imperatores non tam subditis, quam Ecclesiis quædam juramenta præstiterunt, partim ut Catholicæ fidei se addictos esse profiterentur, partim ut Ecclesiæ defensionem stipularentur. Anastasius Dicorus, Eutychnianæ hæreseos infimulatus, ab Euphremio coronam prius impetrare non potuit, quàm chirographo confirmasset, se fidem catholicam servaturum, & concilii Chalcedonensis decreta rata habiturum, *referente Zonara Tom. III. in Anastasio.*

§. XXVII. Carolus M. Leoni III. dicitur jurasse, ut in antiquo commentario, qui *ordo Romanus* inscribitur, recensetur: *In nomine Christi spondeo atq; polliceor ego Carolus &c Imperator coram DEO & Beato Petro Apostolo, me protectorem ac defensorem fore hujus sanctæ Ecclesiæ Romanæ in omnibus utilitatibus, quatenus divino fultus fuero adjutorio prout sciero, poterog; i* Ejusdem ferè argumenti juramentum recitat Clemens V. *Clementina unica de jurejurando*, quod fidelitatis & obedientiæ juramentum adpellat. Ab Heinrico VII. quem alias Luzel-

B

bur-



burgium nominant; fuisse juramentum fidelitatis verbis expressis postulatum à Clemente V. negari non potest. Sed quod illi forsan primo præstandum injungebatur, animosè recusavit. Nulla quidem juramenti, à Carolo M. præstiti expressa fit mentio in dictâ Clementina; cum tamen *morem observationis antiquæ* hoc manifestare dicat Clemens, & satis audacter scribat: *quin juramenta hujusmodi fidelitatis existant à retro Romanis Principibus, non fuit hæcenus hæsitatum: imò tam quondam Albertus Rex Romanorum immediatus prædecessor memorati Henrici Bonifacio Papa VIII. prædecessori nostro tempore ad probationis ejusdem Alberti, quam Rodolphus pater ipsius, & alii prædecessores ejusdem Romanorum Reges diversis nostris prædecessoribus juramentum fidelitatis & obedientiæ præstiterunt: quædam sunt monenda ex Historicis.*

§. XXVIII. Nullum quidem dubium est, quin, si modo genuinum adest Caroli M. juramentum, ad illud Clemens respexerit; cum sensu convenient, ut conferenti utrumq; patebit. Sed desiderantur rationes, quibus probetur: hoc Caroli M. juramentum fuisse *fidelitatis juramentum*. Vid. *discurs. Historic - Polit. de Carolo M. membro VI §. 12.* Nullum enim feudum aut beneficium accepit à Pontifice, nec imperium debuit Episcopo Romano, ut prolixè probatum, *loci dicti membro VI. §. X.* Quin Leo III. Carolo suam fidem atq; subjectionem per sacramenta voluit firmare. Annales Francici, Carolina ætate scripti, ad an. 1000CVI. expresse: *Roma Hadriano defuncto Leo Pontificatum suscepit: & mox per legatos suos claves confessionis sancti Petri ac vexillum Romanæ urbis cum muneribus Regi misit; rogavitq; ut aliquem de suis optimatibus Romanam mitteret, qui populum Romanum ad suam fidem atq; subjectionem per sacramenta firmaret.* Baronius eadem retulit ad ann. 1000CVI. n. 16. sed ultima verba; *rogavitq; ut aliquem & c.* ut causæ suæ obfutura, malitiosè omisit. Idem Baronius anno 1000CC. n. 7. non agnoscit aliud, quam protectionis juramentum, scribens: *Non omisit idem imperator juramento tunc se obligare Romanæ Ecclesiæ defensorem: quod jus jurandum his verbis concipi à posteris etiam consuevit: In nomi-*

nomi-



17.

nomine Christi spondeo atque polliceo ego Carolus Imperator coram DEO & beato Petro Apostolo, me protectorem ac defensorem fore hujus S. Romanæ Ecclesiæ in omnibus utilitatibus, quatenus divino fultus fuero adjutorio, prout sciero, poteroque. *Hæc Cardinalis.*

§. XXXIX. Ottonem sive Magnum Johanni XI, quem alij esse volunt. X. scribunt præstitisse juramentum, quod in Gratiani decretum *distinct.* 63. cap. XXXIII. irrepfit, quod Glossa appellat *juramentum fidelitatis.* Sed hoc totum confictum esse, dudum docuit Melchior Goldastus *Reichs sag.* part. 1. fol. m. 306.

§. XXX. Lotharius Saxo ignominiosa quadam pictura in Laterano fertur Romæ repræsentatus, quasi ante Pontificis Pedes in genua provolutus expectaret à Papa beneficium imperii Romani collationem, subscriptis his versibus:

*Rex venit ante fores, jurans prius urbis honores,  
Mox homo fit Papa, sumit quo dante coronam.*

Sed in Romani imperii contemptum à sedis Romanæ Favoribus esse eam confectam, monent eruditi. Ad hanc picturam respexit Fridericus I. cum in Comitibus Bisuntinis inter alia cordate contra Pontificum ambitionem differeret, dicens: *A pictura cæpit, ad scripturam pictura processit, scriptura in auctoritatem prodire conatur. Non patiemur, non sustinebimus, coronam ante ponemus, quam imperii coronam una nobiscum sic deponi consentiamus. Picturæ deleantur, scripturæ retractentur, ut inter regnum & sacerdotium aterna inimicitiarum monumenta &c.*

§. XXXI. Friderici I. sive Barbarossæ non dubitat persuadere Hadrianus IV. in Comitibus Bisuntii celebratis, *suum esse beneficium, quod imperaret:* ut Legatorum Pontificiorum unus audacter ibi dixerit: *A quo ergo habet, si à Domino Papa non habet imperium,* ut ex Radevico refert Christophorus Lehmannus *Chron. Spirens.* l. V. cap. 68. Quam injuriam vindicasset animosus libertatis Germaniæ assertor, nisi callida expositione veterator se expedisset *beneficium per bonum factum* exponens. Suspectus ergo est, imo falsus *mos observationis antiquæ,* quam jactavit Clemens.

B 2

§. XXXII.



14.  
 §. XXXII. Nec confundendū est homagium cum juramento civium, quod cives novelli in numerū civium assumendi, solent præstare. Forma juramenti, in quam conceptis verbis juratur à civibus Jenensibus refertur ab Excell. Cellario Polit. l. 11. c. 19. §. 22. Ex veneranda antiquitate placet quoddam adscribere juramentum, quod Athenis circa annum XX. ætatis præstabant Ephebi, in numerum civium adscribendi. Forma ejus recensetur apud Stobæum sermone XLI. de Republ. his, verbis:

καὶ κλισυῶν ὅπλα τὰ ἱερά, ἐδ' ἐγκαταλείψω τὸν παραστάτην, ὅλω ἀνσιχῆσω. ἀμυνῶ δὲ ὑπὲρ ἱερῶν, καὶ ὑπὲρ ὀσίων, καὶ μόνος καὶ μετὰ πολλῶν. ἦν παλῖδα δὲ ἐκ ἐλάσσω παραδώσω, πλείω δὲ καὶ ἀμείω, ὅσην ἀν παραδέξωμαι. Καὶ εὐηκήσω τῶν αἰεὶ κρινόντων ἐμφρόνως, καὶ τοῖς θεσμοῖς τοῖς ἰδρυμένοις πέσωμαι, καὶ ἕξ ἕνας ἀν ἄλλοις τοῖς πλῆθος ἰδρῦσῆσαι ὁμοφρόνως. Καὶ ἀν τις ἀναρῆ ἕξ θεσμοῦ, ἢ μὴ πείθηται, ἐκ ἐπιπέφω, ἀμυνῶ δὲ μόνος, καὶ μετὰ πάντων. Καὶ ἱερά τὰ πάντα ἡμῆσω. Ἰστορεῖ θεοὶ ἔστων. i. e. non ignominia afficiam arma sacra, neq; deseram meum astitem, quo cum junctus fuero. Dimicabo pro sacris & profanis, sive solus, sive cum multis. Patriam non relinquam in deteriori statu, sed ampliori, meliori, quam acceperim. Semper Magistratui præfecto prudenter obediam, & legibus constitutis parebo, atque aliis quibuscumq; plebis consensu decretis. Quod si quis leges vel irritas facere, vel eis non obtemperare velit, non concedam; sed ulciscar tam solus, quam cum pluribus. Sacra quoq; patria colam. Horum DII mihi testes, & conscii sunt.

§. XXXIII. Differt etiam homagium à Juramento studiosorum, quod Matriculæ inscribendi, & in numerum studiosorum recipiendi, præstant. In nostra inclyta Salanâ talis præscripta est forma juramenti. Ego N. N. juro. I. me fundatoribus hujus Academiae, Illustrissimis Principibus, Ducibus Saxonie, neq; mediatè, neque immediatè detrimentum allaturum. I. I. Me reverentiam habiturum debitam Magnifico Dn. Rectori, & Professoribus, & in regenda disciplina obtemperaturum hujus scholæ statutis. III. Me adhibiturum diligentiam in discendo, dignam personam Scholasticam, & lectiones necessarias auditorum sedulo. IV. Injuriam



17.  
riam mihi factam consulto nec per me ipsum nec per alium, me vindicaturum, sed super illa imploraturum auxilium Rectoris. V. Si quid delinquerem, aut aliquid haberem controversie cum alio, me acquieturum in jurisdictione Scholastica, & fore contentum sententia Domini Rectoris aut senatus, si is causam cognoscit. ITA DEUS ADJUVET.

§. XXXIV. Paret quoque facile, juramentum Officialium cum Homagio non convenire, quod officiales ratione officii commissi solent præstare. Talia sunt juramenta Præsidis Judicii Rottwilensis, Scribae, Procuratorum, & Tabellionum, ut pluribus referuntur à Melchiore Goldasto tom. I. der Reichsstatuten fol. 6. & Tom. II. fol. 305. 306. Sic Oligarchicos suo tempore in quibusdam civitatibus jurasse scribit Aristoteles V. Polit. cap. IX. *populum odio habebo, & consilio annitar, ut malè habeat.* Quod improbat, Philosophus monens: *expedire potius si simulent ac fingant contrarium, atque ita juramentum concipiant:* Non afficiam populum injuriis. E. contrario senatus Atheniensis jurabat: *Se populo maximè, consulturum, referente Demosthene in Democratem & Neeram.*

§. XXXV. Toto denique cælo distat ab homagio juramentum imperantium. Quæ quidem juramenta non sunt unius generis. Quædam enim jurantis, aut jurantium, majestatem non minuunt, quale est illud, quod ex Gergobiorum antiquissimis archivis depromptum recenset Bodinus l. I. de Rep. cap. VIII. his verbis; omnibus Regibus ad intuendum & incitandum proponens: *Juro ego per DEUM omnipotentem, ac promitto, me juste regnaturum, judicium, æquitatem, ac misericordiam facturum:* Ab hoc juramento qui recedit, & Tyranni potius, quam Regis vices explet, divino quidem subiectus est judicio & poenis, nulli verò cognitioni aut dijudicationi humanæ. Damnanda ergo est feralis illa sententia: Reges, principes, optimates, & quoscunque tandem Imperantes, esse Ministros & Procuratores, à quibus liceat populo non tantum repetere suarum actionum rationes; verum etiam eosdem accusare, damnare, deponere, ultimoque supplicio afficere. Hujus sui facti rationes petunt quoque inter


B 3

alias



alias ab præstito juramento. Sed juramentum, quæ tale, Majestatem non lædit; verum conditiones, in quas juratur, quæ, si debeant observari, tales esse possunt, ut integra non maneat Majestas penes jurantem.

§. XXXVI. Quædam juramenta imperantium lædunt & imminuunt Majestatem. Quale fuit Heinrici Andium Ducis, cum Poloniæ Rex à Legatis renunciaretur, his verbis conceptum: *Ego Henricus, Rex Poloniæ &c. juro DEO omnipotenti, quod omnia jura, libertates, privilegia publica & privata, juri communi non contraria, Ecclesiis, Principibus, Baronibus, Nobilibus, civibus, incolis, per meos prædecessores Reges, & quoscunque Principes Dominos Regni Poloniæ justè concessa, & quæ in interregno decreta sunt, servabo; jusque omnibus incolis more Majorum reddam &c. si quidem (quod absit) sacramentum meum violavero; nullam nobis incola regni obedientiam præstare tenebuntur &c. Sic DEUS adjuvet.* Hæc formula, subjicit Bodinus l. 1. de Republ. cap. VIII p. m. 139. non regiam majestatem, sed Principis (id est in Republ. primi) conditionem sapit. Atque hæc de hisce.



### Ringel, Gedichte.

Zeit bringet Rosen dar. viel Jahre sind ver-  
flossen  
Da ihr / O werther Freund / den zarten Weißheits-  
Sprossen  
Zu Bauen eingelegt / genommen dessen wahr  
Durch unverdrossnen Fleiß / Zeit bringet Ro-  
sen dar.

Zeit bringet Rosen dar. nach diesem ward begos-  
sen  
Die Wurzel offte mit Müß / im Jerna fängt zuschossen  
Ein



17.  
Ein grüner Zweig hervor / noch über etlich Jahr  
Erwartet man was mehr. Zeit bringet Rosen  
dar.

Seinem freundgeliebten H. Landsmann und  
Tisch-Gesellen statt wohlmeinender  
Glückwünschung aufgesetzt

Durch

M. Johann Franken von Zittaw.

---

**W**as dein kluger Geist bedacht/  
Was er sich zum Ziel gesetzt/  
Wann er Morgens und bey Nacht  
sich mit Büchern hat geleset  
Wie du mit der weisen Lehr  
deine Sinne fast betawen  
lassen/ und was sonst mehr  
lestu/ Liebster/ jeso schawen.  
Nimb die Bücher zu der Hand/  
strebe du so fort nach Ehren  
daß Geliebte Vaterland  
wird dir Lob und Lohn vermehren.

dieses schrieb seinem geehrten Herrn  
Landesmann

**Peter Ernst Cramer**  
der rechte beflissener.

---

**W**oh! dem der da seine Sinnen  
Von der zarten Jugend an/  
Zu des Phoebus hohen Zinnen  
richtet/ der die schwere Bahn

so



So zur Kunst und Tugend führee  
 hurtig steiget und berühree.

Denn Er kan gar bald erlangen  
 Das was ihn unsterblich mache  
 und mit solchen Gaben prangen  
 die nicht Golde gleich geacht/  
 wie dis auch an ihm erhellet  
 liebster/ und sich ist darstellte.

In dem Er des Geistes Flammen  
 embsig in der Musen Pfort  
 durch viel Mühe schlägt zusammen  
 eylet zum gewünschtem Ort  
 da man dieses ihm verehree  
 welchs der Pöfel nicht verwehree.

Fama schwing die weissen Flügel  
 ferne von der Saalenstrand  
 las den Kossen ihre Zügel  
 schießen/ mache doch bekand  
 meinen Freund/ das Bauzen wisse  
 seine Kunst/ und ihn begrüße.

Mit welchem seinem vielgeehrten Herren Stu-  
 bengesellen sein treugeneigtes Gemütthe  
 bezeigete in enl

**Johannes Georgius Sturm B.L.**

F I N I S.



ULB Halle  
002 392 003

3



TA → OL

VD 17











B.I.G.

Farbkarte #13

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

io Politica,

DE

MAGGIO

1651, 3

3

Quam

emi Numinis auxilio

phorum, in florentissima ad Salam Aca-  
ordinis consensu,

UTAMINE.

I R I

plissimi & Praclarissimi

CHRISTFRIDI  
, Historiarum &

mi, Praeceptoris & Fautoris  
rvantia jugiter prosc.  
quendi,

cussioni subjiciet

ORGIUS Seiferdt /  
sâ - Lusatus.

Acroaterio philosophico  
Aprilis.

N Æ

TIANUS LAURENTIUS  
APFFIUS.

M. DC. LI.